



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. X. De gradatione & interstitiis ordinationum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Festis ordinari quis possit, rigidè sit intelligendum de festis, quæ de præcepto, & in foro celebrantur, saltem in particulari aliqua Ecclesia.

## §. X.

## De gradatione, &amp; interstitiis ordinationum.

Gradatim debere conferri ordines, incipiendo à prima tonsura, & deinceps temper ad proximum ascendendo, ex *c. uni. de Cleric. per saltum promoti*, patet, ubi prohibetur hæc per saltum, omisso intermedio inferiore, facta promotio, ita ut validè quidem promoveatur, qui taliter per saltum promovetur, non tamen licitè. Quin etiam certa interstitia inter inferiorem ordinem susceptum, & superiorem suscipiendum, servari debere, ex *Trident. sess. 23. cap. 19. de reform.* patet, ob majorem scilicet probationem, & meliorem dispositionem ordinandorum; quæ quidem interstitia inter minores ordines prudenti arbitrio Episcopi definienda relinquuntur, hodie tamen passim ex receptâ consuetudine non observantur, cum passim omnes 4. minores cum prima tonsura eodem die accipiant, & ex probabili etiam consuetudine, quæ reprobata non fuit, eum minoribus eodem aut sequenti mox die Subdiaconatus conferatur; inter majores tamen ordines interstitia servari debent, uti patet ex *c. literas 13.* & ex *c. dilectus 15. h. t.* ita ut nec simul duo ordines majores eodem die conferri possint, nec diebus mox succedentibus, non obstantibus quibuscunque privilegiis de jure antiquo regularibus quibusdam concessis (quæ per Trident. revocata quidem sunt, non est tamen

ablata Pontifici per hoc potestas circa hæc interstitia dispensandi) & tam Subdiaconus quàm Diaconus per annum in suscepto ordine servare debeat, usque dum promoveri possit ad ordinem superiorem, uti ex *Trident. sess. 23. habetur*, nisi ob utilitatem aut necessitatem Ecclesie cum tali fuerit à proprio Episcopo dispensatum, quibus Trident. hanc potestatem dispensandi concessit (& hinc, qui dimissorias petunt, diligenter attendere debent, ut hæc aut dispensatio, aut dispensandi licentia literis talibus inseratur, nisi velint ab ordinibus repelli, in illis saltem Ecclesiis, ubi diligens cura Trident. habetur) ut ad eò rectè non nemo dixerit; *ad eum spectare dispensandi in interstitiis potestatem, ad quem pertinet ordinandi de jure communi potestas*, & tacitè censeatur quoad hæc interstitia dispensare ordinans Episcopus, si sciat à susceptione prioris ordinis annum nondum elapsum fuisse, ordinem tamen superiorem conferat.

## §. XI.

De pœnis jure Canonico statutis in malè seu illegitimè promoventes, ac promotos ad ordines.

Varia circa has pœnas statuta sunt, primò quidem, qui ante legitimam ætatem ordinat aliquem, à collatione ordinum suspendendus est per sententiam, ut in eo puniatur, in quo deliquit, *c. vel non est 14. h. t. junct. gloss. V. suspendentes*; & qui primam tonsuram confert infanti, aut homini illiterato penitus per unum continuum integrum annum à collatione Clericalis tonsuræ ipso jure suspensus est *c. final. h. t. in 6. junct. gloss. V. annum*